

tētior, & fida oratione.<sup>a</sup> Cunctaque quā Germanicus indulserat, seruauit, etiam apud Pannonicos exercitus. Eodem anno Iulia supremum diē obiit,<sup>b</sup> ob impudicitia olim à patre Augusto Pandateria insula, mox opido Reginorum, qui Siculū fretum accolunt, clausa. Fuerat in matrimonio Tyberii, florētibus Caio & Lucio Cesariis, spreueratque ut imparem: nec alia tam intima Tyberio causa, cur Rhodum abscederet. Imperium adeptus, extorrem, infamem, & post imperfectum Posthumum Agrippam omnis spei egenam, inopia, ac tabe longa peremisit,<sup>c</sup> obscuram fore necem longinquitate exilii ratus. Par causa sequitæ in Sempronium Gracchum, qui familia nobili, solers ingenio, &<sup>d</sup> prauè facundus, eandem Iuliam in matrimonio Marci Agrippæ temerauerat. Nec is libidini finis: traditam Tyberio peruvicax adulter cōtumacia, & odiis in maritum<sup>e</sup> accendebat. Literæque quas Iulia patri Augusto cum insestatio- ne Tyberii scripsit, à Graccho compositæ credebatur. Igitur amotus Cercinam Africi maris insulam, quatuordecim annis exilium tolerauit. Tunc milites ad cædem missi inuenere in prominenti littoris nihil læ- tum opperientem. Quorum aduentu breve tempus petiuit, vt suprema mandata vxori Alliaria per literas daret, ceruicemque percussoribus obtulit:<sup>f</sup> constantia mortis haud indignus Sempronio nomine, vita degenerauerat. Quidā non Roma eos milites, sed ab L. Asprenate proconsule Africa missos tradidere, autore Tyberio,<sup>g</sup> qui famā cedens posse in Asprenatem verti frustra sperauerat. Idem annus nouas ceremonias accepit, addito sodalium Augustalium sacerdotio, vt quondam T. Tatius retinendis Sabinorum sacris sodales Tatiis instituerat. Sorte ducti è primoribus ciuitatis vñus & viginti,<sup>h</sup> Tyberius, Drususque, & Claudius, & Germanicus adiiciuntur. Ludos Augustales tunc primum cœptos turba-

## O B S E R V A T I O N E S.

**a** Valde interest principis sedulò dare operam vt, siquid suo nomine exercitibus, ijsque omnibus, quorum in manu resp. est ab eo, cui id negotij ipse dedit, promissum est, in eo fidem suam libertet. Vix enim dici potest, quantum ei res hac sit honorifica, quantumque roboris, ac firmitatis addat imperio.

**b** Apud veteres iudicium adulteri exercebatur intra priuatos parietes: atque in more positum erat, vt à parentibus in filiis, ob impudicitiam, animaduertetur.

**c** Haud dubie obscurus est interitus eorum, qui in longo exilio supremum diem obcunt.

**d** Præstat rudem esse bonarum artium, quamvis prauè vti, vt supra obseruauit.

**e** Adulterorum mos est, vt vxores in matritos accendant.

**f** Ferè fit, vt, cuius interitus instat, huic animus nihil leti praesagiat.

**g** Constantia in ipso mortis articulo, etiam in vivo improbo, est laude digna. certè quidam reperiuntur, vt ait Seneca epist. 2.4. qui ad alia ignau in morte exequarunt animum fortissimorum.

**h** Siquid princeps odio sum perpetrare vult, eius rei suspcionem ab se, quare maximè potest, amo- ueat; idque, quicquid est negotij alicui mandet, in quem totius facti odium veritatem posset.

**i** Quæ omnibus sunt nota, quo magis danus operam vt recondantur, hoc magis palam fuisse.

**k** Qui cœtu alicui dignitatem addere vult, viros maximos, seque in primis, si princeps est, ibi adscribat.